

~~Nf 41.~~

(2)



Jc 2605



INITIA SACRIFICIORUM

EDIDIT
JO. HENR. CALLENBERG

Halæ in Typographia Instituti Judaici
CIS MDCC XXXIIX.

I.

Innumerabilis propemodum turba eorum est, qui libros exararunt de sacrificiis, horumque multiplici apparatu; plures sunt, qui non quidem ex instituto, sed in aliarum rerum explicatione, ea descripserunt. Non opus esse credo, longum hic catalogum conficere virorum, a quibus hæc materia pertractata fuit. Quærat eorum nomina, quisquis ea noscere velit, in celeberrimi *Fabricii bibliotheca antiquaria*, & in aliis hujus generis scriptis. Certiorem initiorum cæremoniæ illius descriptionema contexere adgressus est *Spencerus*, & diligentissime, quidquid inuenit in documentis antiquitatis, quod ostenderet incunabula sacrificiorum, contulit in librum suum notissimum. Sed in quos errores lapsus sit, non ignorant viri cordati; quanquam nouatores quidam suo publicorum sacrorum contentui patrocinari visa placita mirifice prædicent

cent atque extollant. Ego hac scriptiuncula breuiter complexus sum biblicam primorum sacrificiorum historiam. Duabus aliis dissertationibus acturus eram de origine san-
 ctioneque sacrificiorum diuina, vindicata aduersus *Spencerum*, ejusque adfectas. Sed cum aliis jam districtus sim negotiis, id iis per-
 mitto, quibus largius concessum est otium. Summum vero Numen inuoco, vt quod cruento isto instituto adumbravit, omnibus tandem patefaciat gentibus, quo expiata cum ipso rursus suauissime jungantur.

II. Primum, quod sacra volumina commemorant, sacrificium, filiorum Adami est, *Caini & Abelis*: quorum ille aliquid de frugibus pro dono, hic ex primo pecudis proventu, quod habuit præstantissimum, Deo obtulere. Antea hoc munere deum ab illis non minus, quam ab *Adamo* cultum fuisse, non legimus quidem relatum, non improbable tamen est, si diuinitus caremonia illa instituta fuit, cum narratio Mosis non tam ad sacrificii originem, quam ad fratricidium, ejusque occasionem pertinere videatur. Multa hic solent viri docti disputare, hærentes in quibusdam circumstantiis, vel studio ritum eneruandi. Sagmen artulisse Cainum quidam fingunt. Alii munus Abelis in lana & lacte constituisse dicunt; nulla veri specie, eo autem sine, vt cruorem his sacris demant Vbi, quæso,

quæso, vox hebraica, cui lactis notionem tribuunt, sic vsurpatur in sacris litteris, quando de sacrificiis sermo est? nonne tum adipem semper significat, quem hoc loco, sicut alibi, vbi tritico adiicitur, & adhibetur pro bonitate, commode præstantiam interpretamur? Recordari eos oportebat, non solenne patriarchis & populo Israelitico illud sacrificii genus fuisse, nec id a Paulo potuisse dyfias nomine vocari. At enim carnis esum illo æuo homines auersabantur, nec Deo solebant quidquam, nisi quod sibi in vsu erat, largiri. Verum id, quod de fastidita carne adferunt, cordatis nondum illi persuaferunt viris, qui sine ratione ad auctoritatem aliorum non conuertuntur. Et quanquam illos verum loquutos, certissimis declararetur documentis, hoc tamen ex eo euinci non posset, quod isti homines id, quo ipsi non vescabantur, in honorem Numinis noluerint sacrificare. Etenim non est, vt illud vrgeas, minime reperiri inter sacrificia, quod ab vsu hominum remotum fuisset. Hoc fit ita, non repugno: dummodo in eo mecum sentias, vsus rei plus complecti, quam comesturam. Fortassis aliquis dixerit, quod objecit Clericus, ea tempestate paucitatem bouum, ouium, caprarum, isti mori fuisse aduersaturam. Sed is suo argumento, quod voluit, non consequitur; tantum facit, vt probabile sit, illos non tam crebro

bro & tot hostias, quam insecuto tempore factum est, aris imposuisse.

III. Post fratrum primorum sacra, nihil expresse dictum de isto Numen honorandi modo inuenimus in sacrarum litterarum parte illa, quæ gestas ante orbis inundationem res exponit. Ad *Enosi* ætatem initium publice inuocandi Numinis, ex plerorumque interpretum sententia, refertur. Qui mos deinceps ab Abrahamo apud aras, & quidem, quod veri simile videtur, inter sacrificandum frequentatus est. Vnde concludunt, & olim *Enosi* coæuos preces cum immolatione coniunxisse, cum nulla nobis occurrat ratio, quæ mouerit eos, vt paulo ante introductam sacrificandi consuetudinem omiserint, aut sejunxerint a cultu Dei solenni. Mosen vero hoc loco principium publicarum precum, & reliquorum pietatis exercitiorum, in propatulo susceptorum, memoriæ prodere, adeo manifestum est, vt id in dubium vocare nequeamus, nisi Adamum, Sethum, & alios antea nunquam orauisse Deum arbitremur.

IV. Qui a morte *Enosi* ad diluuium vixerunt, merito continuasse sacra ista creduntur. Et vt ea malis molesta esse cœperint, pii tamen viri, quorum semper superfuerunt aliqui, patrium hunc ritum diligentissime obiuerunt. Nec parum ponderis conjecturæ nostræ addit *Noachi*, gentis euersæ morem ex orbe antiquo

tiquo in nouum transferentis, exemplum.

V. Regressis a terræ superficie aquis, *Noachus*, cum suos ex arca eduxisset, antequam vastatos agros colere aggrederetur, rem fecit diuinam. Facta tum sunt multa, quæ curationem perpenstationem merentur. Notauit Moses sacrificia, holocausta dicta, eorumque locum, materiam & effectum. Concise singula trademus. Statuit *Noachus* aram, super qua hostias immolaret; an primus, non inquiram. Sunt, qui hoc negant, aræ originem petentes a *Caino*; qui, ex illorum opinione, paganus fuit, & inuentor cum aræ, tum septi & templi, quæ posterî ad illam tutandam adiecerunt. Ad materiam quod attinet, animalia bruta, & in his aues dicitur adhibuisse ex genere eorum, quæ receperat in arcam: at non quælibet, sed pura. Quærunt hic, quænam ex animalium numero tunc munda habitata fuerint? & quam ob causam? num eadem ratio fuerit puritatis, impuritatisque, quam aliquot seculis post Mosaica lex Israelitis imposuit obseruandam? Hæc omnia Deus nos latere voluit, & ultra conjecturam non progressa est eruditorum inquisitio curiosissima: ergo ea, tanquam incerta, transimus. Melius locamus operam in effectu sacrificii considerando; verum in hoc transcurso tam contractæ scriptiunculæ pauca attingere possumus. Perplacuit Deo sacrum, & id conse-

quntus est oblatoꝝ, vt ei fierent promiſſiones, de omittenda talis pœnæ, qualem totus orbis ſubiuerat, iteratione, de conſeruatiõẽ ordinis rerum naturalium, de multiplicando genere humano, de concedendo in res creatas dominiõ ampliori, de ſecuritate hominis publica, illi aduerſus homicidas munienda. Ante omnia vero memorabile eſt, deum eodem tempore fœdus cum Noacho pepigiſſe.

VI. Aras etiam *Abrahamus* ſtruxit, & ſacrificiis ſupremum Numen placauit. Tres aras diuerſis locis eum feciſſe *Mofes* auctor eſt: primam in quercetu *Moræ*; medio inter *Bethlehemum* & *Ajam* loco ſecundam; tertiam prope *Hebronem*, in quercetu *Mamræ*. *Moræ* viſus ipſi *Jehoua*, & pollicitus fuerat, ſe iſtam regionem poſteris ejus daturum. Non longe progreſſus translatum tentorium fixerat in vicinia *Bethlehemi*: *Hebronem* vero venerat, rediit ex *Ægyptiaco* ſecefſu, poſtquam ſe ab eo ſeparafſet *Lothus*; quo ad pinguiora paſcua digreſſo, *Deus* denuo ei promiſerat terrarum illarum poſſeſſionem, ſobolisque ex ipſo natiuituræ multiplicationem. Apud aram *Bethlehemiticam* bis preces fudiſſe legitur; de reliquis aris, quæ in quercetu *Moraico* & *Mamraico* erant, nihil, quam earum exſtruetio, memoratur. Veri tamen ſimile eſt, apud has æque ac apud illam, *Deum* non ſolum adoratum, ſed hoſtiis quoque conſuetis fuiſſe cultum.

VII. Interjecto tempore, Deus Abrahamum pro hostia filium unicum mactare iussit, & locum modumque, quo id fieri velit, designavit. Moria, mons, qui sub Salomone templo Hierosolymitano nobilitatus fuit, emenso tridui iter parenti ostendebatur, ubi is natum quodam sacrificii genere conficeret, in ignem coniectum. Abrahamus cum montem conscendisset, obedienter imperata facere paravit. Sed angelus dominicus e cælo inhibebat erectam illius in necem filii manum, declarans: ipsum functum jam esse suo officio, & patefecisse, quam nulli rei, licet sibi carissimæ, Deo placendi causa, parcat. Inter hæc conspexit ille arietem, hærentem in dumetis, quem abstraxit, & pro filio obtruncatum Deo obtulit, ac combussit. Pergebat statim angelus in sermone inchoato, laudabatque fidei documentum; pollicens bona egregia posteris Abrahami, atque addens, in prole ejus cunctas gentes nationesque felicitatem consecuturas. Occurrit in hac historia loquendi formula, quæ lucem antea dictis adfert. Scilicet Abrahamus, seruis indicans, quando ex monte rediturus sit, dixit: *præstolamini hic cum asino, dum ego ac puer illo eamus, adoraturi, & inde ad vos redituri.* Itaque Abrahamus precum mentione sacrificandi cæremoniam tacite simul complexus est: unde recte concluditur, precationem, præsertim solennem,

nem, apud aram olim factam, latius interpretandam esse, & ad sacrificia extendendam.

VIII. Patris vestigiis, vt in reliqua pietate, sic in custodienda sacrificiorum religione, infisteat Isaacus. Postquam ille Hebrone diuertisset, hic aliquandiu diuagatus est in Philistæorum dititione, cum fames ipsum vrgeret. Inde se Bersabam contulit, quam postea fortunarum suarum sedem habuit constantem. Hic in quiete per visum audit diuinam copiosioris posteritatis, aliorumque bonorum promissionem. Expergefactus aram condidit, & apud eam, more antiquo, hoc est, sub immolatione hostiæ, precatus est.

IX. Ex dicto loco filius, *Iacobus*, iter in Mesopotamiam ingressus cum pernoctaret in illo tractu, vbi deinceps oppidum, Bethel, fuit, vidit in somnio scalam, ad cælum pertingentem, angelosque in ea scandentes; supra quos dominus stetit, & quod antea auo, patrique pollicitus fuerat, ipsi se daturum, reducturumque eum huc incolumem, asseueravit. Iacobus, e somno excitatus, valde miratus visa & audita, lapide, supra quem caput per noctem reclinaverat, erecto, in hunc oleum effudit, tanquam libamen quoddam, cum ex viatica supellectile non suppeteret liberalioris sacrificii apparatus. Ibidem nuncupavit votum, de æde dominica illic condenda, dominoque reddenda decima redituum parte, si faceret, vt fartus testus aliquando in patriam rediret.

X. Reuerso ex Mesopotamia, & propter excisos Sichemitas, cum tota familia, in summas angustias redacto, repente adfuit Numen, iussitque eodem in loco, vbi lapis ille inunctus fuerat, aram struere. Mandatum Domini ad suos retulit Jacobus, iisque præcepit, vt se ad illius executionem rite accingant. Hi dicto confestim audientes fuerunt, abjectisque diis peregrinis ac inauribus, purgarunt sese, & munda induerunt vestimenta. Quo facto, Jacobus cum illis abiit ad locum prædictum, atque aram construxit; super qua sacrificasse eum, fere non dubito, fretus ratione, sæpe jam citata.

XI. Hactenus de populi Dei majoribus, Jam veniamus ad sacra alienigenarum. In idem tempus, quo claruit Abrahamus, ætas incidit Melchisedeci, reguli cujusdam Cananæi, & vt opinamur, oriundi ex progenie Chamitica, in qua sincerum Dei altissimi cultorem superfuisse, non oportet adeo incredibile videri. Hunc sacræ pandectæ sacerdotis, Deo summo inferuentis, nomine honorant referuntque: eum Abrahamo, ex bello Pentapolitano redeunti, obuiam processisse, oblatoque pane & vino, ipsi bene precatum verbis singularibus; quapropter ei Abrahamus decimam dederit prædæ partem. Quo facto impleuisse ille indicatum nomine munus censetur, crediturque illud alio etiam tempore,

re, ac functionibus pluribus administrasse.

XII. Quo tempore Israelitæ in Ægypto morabantur, in Aufside, Arabiæ desertæ regione, Jobus, cujus genus, nescio, num ad Nahorem, an ad Kethuram, vxorem Abrahami, an ad alios referre debeam, verum coluit Deum, more a populi Israelitici majoribus instituto. Duplex mentio de sacrificiis injicitur in libro, qui historiam toleratæ ab ipso calamitatis representat. Moris illi erat, pro filiis, quando sub specie concessi delectamenti genio videbantur indulgisse, & vale, quasi dixisse Deo, immolare, vt eorum expiaret peccata, & ipsi hac ratione sancti redderentur. Hoc sub initium libri illius narratur, in fine exponitur mandatum Dei, importunos Jobi consolatores coarguentis, jubentisque, ad auertendam a se pœnam diuinam, adducere ad Jobum septem iuencos, & totidem arietes, ac eos pro se sacrificare, deprecante ipsis Jobo veniam injuriæ, in se admittæ. In quo cum illi Numinis obedirent mandato, commoto ab Jobi precibus Domino, incolumes euaserunt.

XIII. Jam cæterarum gentium instituta deberemus exponere; sed indubitata defunt monumenta, ex quibus eorum cognitio petenda erat. Id nemo ausit negare, quod hæc consuetudo latius serpsit, quam ad Melchisedecum, Jobum, & ejus sodales. Habebant omnes illius æui homines communem generis auctorem

rem Noachum, qui sacra sua ad posteros transmisisse recte putatur. Abrahamus, Isaacus, Jacobus, versabantur inter varias gentes, ex quibus sine dubio nonnulli illorum sacrificandi morem sequuti sunt, & ad plures propagarunt.

XIV. Considerauimus specimina sacrificiorum edita a mundi origine vsque ad Jacobi aetatem. Hic, annonæ caritate compulsus, in Ægyptum deuenit; vbi soboles ejus mirum in modum aucta, ideoque dure tractata fuit a Pharaone, rege Ægyptiorum. Gemiscenti sub calamitate populo Moſen Deus misit, vt eum ab oppressione hostium liberaret. Hinc incipimus nouum quasi sacrificiorum cursum, ad Messiaë aduentum vsque continuatum. Moſes Pharaoni, si causam hic dimittendi populi quæreret, dicere jubebatur: Deum Hebræorum in se incidisse; ergo populum sinat tridui iter per deserta loca progredi, & Iouæ sacrificare Deo suo; qui dixerit, filium suum primogenitum esse Israelém, atque hunc dimittere jubeat ad se colendum. Moſes Domino morigerus fuit, regique denuntiavit: jubere Iouam, vt populum suum patriatur proficisci ad festum diem in desertis

b 2

locis

Dicere jubebatur. Exod. III. 18.

Iouæ sacrificari. IV. 22. 23.

Ad se colendum. V. 1. 3.

locis agendum : se petere, vt id sibi liceat facere, ne se Dominus pestilentia bellouē petat. Incendebatur ira Pharaō, & quotidianum opus, quod Israelitā, tanquam serui, exercebant, aggrauabat ; dictitans, eos otiosos esse, eoque missionem ad sacrificium Deo faciendum, flagitare. Idem ipsis Israelitis, remissionem oneris petentibus, exprobrauit his verbis : estis, estis otiosi ; propterea ad Jouæ sacrificium ire postulatis. Duritiem regis mox mira baculi mutatione frangere conabatur Moses ; sed nihil profecit. Tum Deus per Mosē minatus est, aquam vertere in sanguinem, nisi ille suum sibi populum emitteret ad sui cultum. Sed obstinatus aduersus Dominum Pharaō nequaquam hoc portento commouebatur. Ranarum igitur colluie eum Joua adeo vexabat, vt polliceretur, se populum ad sacra Jouæ faciēda dimissurum. Depulsis vero ranis, detinuit Israelē. Deinde omnis totius Ægypti puluis in pediculos conuersus est ; & cum adhuc resisteret Domino, suos poscenti, ad se sacrificiis colendum, postea incredibilis multitudo insectorum terram oppleuit, & ejus fruges

Bellouē petat. Exod. V. 8.

Nihil profecit. VII. 16.

Ad sui cultum. VII. 26. IIX. 4.

Detinuit Israelē. IIX. 12.

Incredibilis multitudo. 17, IX. X.

fruges consumsit. Id graue visum tyranno est; quare legatum Domini, Mosen, accersivit, deditque ei facultatem Deo sacrificandi, sed iis in finibus. Moses respondit: id commode fieri non posse; ea enim sacra Jouæ, Deo suo, se facturos, quæ detestarentur Ægyptii: quæ si in eorum præsentia facerent, fieri non posse, quin ab illis lapidarentur. Sed tridui iter in solitudinem progressos, Jouæ, Deo suo, sacrificaturos esse, vt eis Joua mandarurus esset. Pharaon ad hæc dixit: se ipsos dimissurum, vt Jouæ, Deo suo, sacrificarent in locis desertis, sed ea lege, ne longius procederent. Auerfa plaga, non melius se gessit Pharaon, quam antea; luem, iumentis & pecoribus perniciosissimam, pustularum vlcera, vim grandinis horrendam, partim contemfit, partim suis elusit pollicitationibus. Qua improbitate cum maiorem mereretur pœnam, hanc ei tamen Deus non inflixit, antequam ipsum de noxa vitanda monuisset. Cum igitur Moses hoc denuntiaret, & valde regem obsecraret, vt Israelitas ad sacra facienda discedere pateretur, & asseclæ regii, metu calamitatis, illum deprecarentur; tandem ille Mosen sic affatur: ite colite Jouam, Deum vestrum. Sed quinam sunt ituri, & qui non? Hic: cum iuuenibus, inquit, & senibus nostris, ibimus; cum filiis & filiabus, cum minoribus majoribusque pecudibus ibimus; quoniam

niam festum diem Jouæ sumus acturi. At ille ait : ita vobis adfit Joua, vt ego vos cum vestris paruulis dimittam. Jamjam satis perspicua est vestra malitia. Ite potius, viri, ad Jouæ cultum, postquam id flagitatis. Tum eos a suo conspectu eiecit. Irruerunt igitur locustæ : & cum nondum resipisceret tyrannus, ingruit etiam horribilis caligo ; quæ illum adeo perculsit, vt denuo cum Mose egerit de permittendo Israelitis sacrificio. Dixit : se passurum, vt irent cultum Jouam, etiam cum paruulis suis, relictis tantum maioribus minoribusque pecoribus. At Moses respondit : imo ipsum illis victimas, & ea, quæ ad rem diuinam opus essent, suppeditaturum, quibus Jouæ, Deo suo, operarentur. Et ipsos pecus suam, ne vngula quidem relictæ, ducturos, ex quo caperent, quæ ad rem diuinam forent necessaria. Neque enim se competentum habere, qua re sint Jouam culturi, donec eo peruenerint. Quo responso Moses Pharaonem sibi tam iratum reddidit, vt hic mortem ei minatus fuerit, si posthac ipsius conspectum subiret. Verum enim vero non ita multo post, casis Ægyptiorum filiis omnibus, quotquot primo loco nati fuerant, cogebatur ille accersere depulsûm virum ; cui jam gratificabatur in omnibus, & rogabat eum, vt sibi quoque inter sacrificandum bene precarentur.

XV.

Bene precarentur. XII.

XV. Cum Deus statuisset Ægyptiacæ iuventutis florem succidere, Israelitis per Moſen præcepit, vt agnum vel hædum maſtarent, ejuſque ſanguine conſpergerent ſuperliminare & poſtes. Subjungit mandato rationem, ſe noctu percullurum Ægyptios in ædibus ipſorum: quamcunque domum vero reperiat ſanguine ſignatam, eam & incolas ejuſ ſe innocenter prætergreſſurum. Adhæc feſtam Deus eſſe voluit noctem iſtam, & dies eam ſequentes, & quotannis repeti illam agni hædine maſtationem, quam nonnulli ſacrificii genus quoddam eſſe reputarunt. Multi in eo erant obſeruandi ritus: quos jam explicare nequeo. Id annotaſſe ſufficiat, hoſtiæ illi & ei deſtinatis diebus nomen fuiſſe Paſchæ; quod verbum Hebræis ſignificat tranſitum, & oftendit, ſanguine hoſtiæ conſpecto, Deum tranſuiſſe habitacula Iſraelitarum, & eos reliquiſſe indemnes.

XVI. Eductæ ex Ægypto genti Iſraeliticæ, & progreſſæ ad montem Sinai, lex a Deo data fuit. Moſes, cujuſ ille miniſterio utebatur, cum populo omnia Jouæ verba, omniaque jura exponeret; vniuerſus populus vna voce reſpondit, facturum ſe omnia, quæcunque Joua iuſſiſſet. Ergo Moſes omnia Jouæ dicta perſcripſit: & ara ſub monte, cippiſ-

b 4

que

Reliquiſſe indemnes. XII. XIII.

que duodecim, pro numero duodecim tribuum Israelitarum exstructis, mandauit iuuenibus, Israelitis, vt solidum sacrificium facerent, & Jouæ iuuenos pro salute immolarent. Ipse dimidium sanguinis in crateribus excepit, altero dimidio aram perfudit: sumtumque librum fæderis in auribus populi perlegit, & populus dixit: sese omnia Jouæ iussa facturum, atque obtemperaturum. Et Moses sanguinem sumpsit, eoque populum asperfit, & hæc verba pronuntiauit: hic est sanguis fæderis, quod Joua vobiscum in hæc omnia verba ferit.

XVII. Antequam hoc sacrificium institueretur, Moses fuerat in monte Sinai, adipiscendæ diuinæ legis causa. Hanc cum aliqua ex parte percepisset, redierat ad populum, eique retulerat percepta. Quo factò fædus sanciuerat, cuius proxime mentio injecta est. Deinceps iterum iussus ad Dominum in montem illum ascendere, illic didicit modum construendi tabernaculi, & leges alias, accepitque legis summam, tabulis lapideis inscriptam. Inter hæc populus, cum videret, Mosē tamdiu de monte non descendere, ad Aharonem conuenit, flagitans, vt sibi præituros Deos faceret. Nam Mosi quidem illi nescire se quid accidisset. Et cum iuberet Aharon, vt in aures aureas, quas habebant, ad se adferrent: extemplo paruerunt. Ex hoc auro ille vitulum

Verba ferit, XXIV.

lum constat, de quo illi sic prædicare : hi sunt dii tui, Israelita, qui te ex Ægypto eduxerunt. Ea animaduertens Aharon, aram ante vitulum excitat, & diem Jouæ festum in posterum diem indicit. Igitur postridie ejus diei, vt primum surrexerunt, solida sacrificia, & pro salute faciunt. Deinde cum discumbentes cibum potionemque cepissent, sese ad ludendum erexerunt. Quam populi impietatem vehemens Dei ira insecta, sed mitigata fuit Mosis intercessione, qui a scelestissimis tamen passim facti ultionem exegit. Ab hoc tempore maxima pars populi publice quidem rei diuinæ, quando debuit, interfuisse videtur, clanculum vero honorauit hostiis Molochum, stellas & alia simulacra.

XIIX. Sed omitto incerta ; prosequar reliqua, quæ facta esse, certo constat. Exstructo tabernaculo illo, & comparatis aliis rebus, quæ ad vsum ornatumque spectabant, Moses, sicut iussus à Joua fuerat, Aharonem & ejus filios, conuocata concione, produxit, eosque aqua abluit. Deinde Aharonem sacris vestibus amicruit, & tabernaculum, & quicquid in eo erat, ac ipsum Aharonem oleo vnxit. Postea filios ejus sacerdotali amictu ornauit. Tum, ex præscripto Domini, taurum piacularem & arietem immolauit, & eos in introitu tabernaculi

b 5

Alia simulacra. XXXII. Amos, V. 25, 26.

naculi interdiu noctuque per septem dies manere iussit. Vbi dies octaua venit, conuocauit Moses Aharonem & ejus filios, & senatores Israelitas, Aharonique mandauit, vt vitulum, boue natum, ad expiationem, & arietem, ad solidum sacrificium, fumeret integros, quos ante Jouam sisteret, vtque Israelitis mandaret, vt fumerent caprum ad expiationem, vitulumque & ouem, anniculos, integros, ad solidum sacrificium: bouemque item & arietem ad sacrificium pro salute: quibus coram Joua sacrificarent; fertumque in oleo subactum. Aharon, obsecutus mandato isti, sacra, vt iussus est, fecit. Tum profectus a Jouæ conspectu ignis victimam in ara & adipem peredit.

XIX. Postquam Israelitæ in promissam ipsis regionem, superate quadraginta annorum errore, venissent, continuatus fuit mos iste sacris operandi cum alibi, tum præcipue eo in loco, quo tabernaculum & deinceps templum stetit. Longum est narrare, quam variis in locis illud versatum sit, quam diligenter raroue accesserint homines, suo vt fungerentur officio, quot sacrificia peregerint alibi, quæ rationes ista adprobent? Hæc omnia in medio relinquo, cum mihi propositum sit, initia tantum & momenta præcipua sacri illius ritus inuestigare.

XX. Restat, vt transcendam ad principium pro-

profanorum sacrificiorum, quibus Israel cultum, vero Deo ablatum, gentilium idolis præstare cœpit. Summa sacrorum apud gentes reliquas fere in hostiarum immolatione consistebat; unde intelligitur, quando ad Deos peregrinos transfugisse Israelitæ dicuntur, eos simul fecisse sacrificia ex more gentili. Supra jam descripsi vitulorum adorationem, quam postea æmulatio Moabiticæ impietatis excepit. Israelitis enim in Cittimo commorantibus, cœperunt vulgo cum Moabitarum puellis scortari, a quibus ad deorum ipsarum sacrificia inuitati, iisdem earum diis epulabantur, & potabant: atque ita consuetudinem habuerunt Israelitæ cum gentis illius Deo fictio, Baalphegore. Sed cito extincta fuit populi a Joua defectio, sicut in Canaane sæpe inhibita est vicinorum regulorum tyrannide, & singulari virtute diuinorum quorundam virorum, quos iudices solemus appellare. Quorum jurisdictio cum tandem ab Israelitis pro nihilo duceretur, expetereturque regium imperium, sub hujus tertio administratore ingens populo Israelitico ad deterrimum sacrorum genus patefacta fenestra fuit. Salomo rex multas amabat mulieres alienigenas, Moabitidas, Ammonitidas, Idumæas, Sidonias, Hettæas, per quas illius mens sub tempus senectutis deflexa est ad alienos deos: non modo ut animo erga Jouam, Deum suum, sincero non

non esset, ut ejus pater David fuerat, sed etiam Astorethum, Sidoniorum, & Chamofum, Moabitaram deum, & Melcomum, Ammonitarum nefas, sequeretur. Non ita multo post Ieroboamus, qui secessionem a Salomonis filio, Roboamo, fecerat, rex constitutus decem tribuum populi Israelitici, ne ciues Hierosolymam, ad rem diuinam in æde Iouæ faciendam, profecti, animum ad dominum suum, Roboamum, flecterent, duos vitulos fecit, hominesque monuit, nihil jam opus esse, ut illuc concederent: hic adesse Israelitarum deos, a quibus essent educti ex Ægypto. Hæc est origo scelestissimæ superstitionis, & impurorum sacrificiorum, quibus ex illo tempore gens improba supra modum dedita fuit, & meruit, ut eam Deus in captiuitatem abduci pateretur.

XXI. Supererant quidem in regno Iudaico homines, qui Deo majorum suorum hostias pro more offerebant. Sed cum hoc magis propter consuetudinem, quam animo pio facerent, credentes, plurimum per se posse opus externum; ipsorum quoque cultus inuisus Deo fuit, ut liquet ex pluribus prophetarum effatis, quæ meriti opinionem, nitentem cæremoniæ illius custodia, adeo displicere ostendunt, ut verba, quibus id indicatur, omne pæne sacrificium, qualecunque demum sit, tanquam inuentum humanam, videantur explodere. Exempli causa ex Iesaiæ vaticiniis
adfe-

adferam aliquid : *quid mihi cum vestris tot sacrificiis ? inquit Ioua. Satur sum arietum victimis, & opimarum hostiarum adipe : taurorum, agnorum, & hircorum sanguine non delector. Quum venitis ad comparandum coram me, quis istud à vobis exigit, vt atria mea teratis ? ne deinceps inane fertum obmouete : a suffitu abhorreo.*

XXII. Contemplati sumus primordia sacrificiorum, quæ instituerunt Israelitæ : restat, vt in vestigia inter ethnicos inquiramus. Incipimus a commemoratis in sacra scriptura, vtpote quæ reliqua antiquitate vincunt, & sunt certa. Primus nobis in hoc temporis tractu occurrit Iethro, Madianitarum pontifex, Mosi socer ; qui, vbi intellexit, quantis Ioua, Deus, beneficiis Mosen & suos Israelitas adfecisset, cum filia, quam illi dederat in matrimonium, & cum natis ex ea filiis, peruenit ad generum in solitudinem, ubi ille castra habebat, ad montem Sinai. Moses ei narrat, quibus Ioua modis accepisset Pharaonem & Ægyptios, Israelitarum causa, & quantis casibus iter infestum habuissent, quibus essent a Ioua liberati. His tot Jouæ in Israelitas beneficiis delectatus Jethro, grates ago Jouæ, inquit, qui vos ab Ægyptiis & Pharaone liberavit, qui populum potestati Ægyptiorum eripuit. Nunc denique intelligo, Jouam omnium esse deorum maximum : simulque rem
diuinam

diuinam Deo & sacrificium confecit; cumque eo Aharon, & cuncti senatores Israelitæ epulas apud Deum iniuerunt.

XXIII. Cum Israelitæ in campum Moabiticum delati essent, rex hujus regionis, Balacus, diffusus viribus suis, legatos ad arcessendum Bileamum misit Perhoram, quæ erat apud Euphratem: qui legati ei demonstrarent, quanta hominum multitudo terram inuasisset; orare se, vt ad se veniat, nationi illi, ipso potentiori, diras imprecatum, si qua eam posset superare, & finibus illis expellere. Multis magnisque pollicitationibus adductus vates, contendit, quo vocabatur; & honorifice a rege exceptus in extremis Moabiticæ terræ finibus, peruenit in oppidum vicorum. Postridie deducitur in Baalis fastigia, vnde aliquam populi Israelitici partem videret. Tum Bileamus regi mandat, vt sibi ibidem septem aras exstrueret, septemque tauros, & totidem arietes præpararet. Quod cum ille ad ejus præscriptum fecisset, Balacus & Bileamus singulos tauros & arietes in singulis aris immolarunt. Deinde Balaco præcipit Bileamus, vt suo sacrificio assistat, dum ipse secedit, si forte in Jouam incurrat, vt, quod ille sibi aperuerit, Balaco indicet. Joua occurrit ei, ipsum dicendis instructum remittit ad Balacum. Apud quem cum faustis omnibus Israelitas profecutus esset, ab eo subducitur in agrum speculatorum, in
Phalgæ

Phalgæ jugum, & postea in verticem Phegoris, qui spectabat ad Jesimonem. In utroque loca sacra faciunt supra septem aras, totidemque tauris & arietibus mactatis. At hic quoque eandem Moabitis sententiam dicere Bileamus jubetur.

XXIV. Dum Israelitæ Canaanem incoluerunt, sacrificia etiam ab aliis gentibus facta esse docent scriptores diuini. Primum oportet eas nationes, quarum morem in sacrificando Israelitæ male æmulati sunt, sacra fecisse. Deinde narrantur etiam alia exempla immolarum hostiarum. Capto Samstone, conuenere Philistæi proceres ad ingens sacrificium Dagoni, deo suo, faciendum, & ad lætandum; quod dicerent, sibi a deo suo in manum traditum esse hostem illum. In locum Israelis, ex suis sedibus expulsi, successerunt noui coloni, aduentantes ex Babylone, Cutha, Aua, Hematha & Sepharvaimo. Quia vero nulla Jouæ religione imbuti erant, in eos ille emisit leones, a quibus occiderentur. Itaque finunt se doceri a sacerdote Israelita, qua religione debeant Jouam colere; sed nouam disciplinam cum sua commiscentes, & Jouæ & pristinis diis suis sacrificant. Inter captiuos Judæos erat adolescens, Daniel nomine, sub
magi-

Bileamus jubetur. Num. XXII. - XXIV.

Ad ingens sacrificium. Jud. XVI, 23.

24 INITIA SACRIFICIORUM.


magisterio chaldæorum, quem Deus cognitione & prudentia omnium litterarum & doctrinarum donauerat. Hic cum regis Nebuchodonosoris somnium elocutus esset, eisque attulisset interpretationem, tantus visus regi est, vt pronus ei acciderit, eumque veneratus, fertum & odores ei, tanquam deo, iusserit libari.



7
Jc 2605

S

h. l.



INITIA SACRIFICIORUM

EDIDIT

JO. HENR. CALLENBERG

Halæ in Typographia Instituti Judaici

CIO MDCC XXXIIX.

I.

Innumerabilis propemodum turba eorum est, qui libros exararunt de sacrificiis, horumque multiplici apparatu; plures sunt, qui non quidem ex instituto, sed in aliarum rerum explicatione, ea descripserunt. Non opus esse credo, longum hic catalogum conficere virorum, a quibus hæc materia pertractata fuit. Quærat eorum nomina, quisquis ea noscere velit, in celeberrimi *Fabricii bibliotheca antiquaria*, & in aliis hujus generis scriptis. Certiorem initiorum ceremoniæ illius descriptionem a contexere adgressus est *Spencerus*, & diligentissime, quidquid inuenit in documentis antiquitatis, quod ostenderet incunabula sacrificiorum, contulit in librum suum notissimum. Sed in quos errores lapsus sit, non ignorant viri cordati; quanquam nouatores quidam suo publicorum sacrorum contentui patrocinarî visa placita mirifice prædicent